DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIV.

PONT. MAX.

A MARCHIONE CAROLO BELLISOMI
PATRICIO TICINENSI
Collegii Clementini Convictore.





ROMÆ MDCCLV.
Ex Typographia Chracas, prope S. Marcum in via Cursus.
SUPERIORUM PERMISSU.

Sanctissimo Domino Nostro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

CAROLUS BELLISOMI

FELICITATEM.



ULTIS *jam ab hinc annis optaveram*, BEATISSIME PATER, *me illum unum esse e sodalibus meis, qui in tuo Sacello, cum* SANCTISSIMÆ TRINITATIS *solemnitas recurreret,*


ut mos est , possem dicere , atque ut hoc munus mihi præsertim injungeretur , enixe sæpius oraveram . Intelligebam enim inter præcipua adolescentis decora procul dubio referri oportere , imo maximæ laudi fore atque ornamento Viris etiam doctissimis, ac præstantissimis , eo totius orbis terrarum amplissimo loco, quem Tu præsentia Tua illustras , atque imples , ubi prima Ecclesiæ lumina , ubi clarissimi Præsules , ubi omnis flos nobilitatis collectus , orationem habere potuisse . Præterea, cum quotidianis fere sermonibus sodales meos de benignitate Tua erga ipsos maxima invicem colloquentes , & quam comiter , quam humaniter illos semper exceperis enarrantes , & sæpe etiam verba tua ipsa plena amoris , ac facilitatis referentes

audi-

audirem, cur non te propius videndi, atque adeundi desiderio flagrarem? Sed, cum plures alii hæc eadem, quæ dicebantur attentis auribus accipientes pari cupiditate incenderentur, atque eundem honorem appeterent, merito ii prius impetrarunt, qui prius rogaverant. Tandem ego quoque voti compos sum factus, & licuit mihi aliquando summa cum animi voluptate coram Te BEATISSIME PATER, *frequentissimo Principum purpuratorum Senatu, & amplissimorum Præsulum consessu de ineffabili* TRINITATIS *Mysterio orationem texere; & licet nunc, dum eandem* SANCTITATI TUÆ *supplex offero, humanitatem illam Tuam, de qua tot, ac tam præclara mihi relata sunt, coram experiri.* Nec *vereor, quin eodem*

erga me animo ſis futurus, quo erga cæteros omnes fuiſti, qui ad Te acceſſerunt. Quod ſi etiam me unum a Te repellendum putares, non metuerem; Scio enim humanitatem, comitatemque tuis moribus ita jam accomodatam, atque inditam eſſe, ut aliter excipere ad Te venientes, quam humaniter & neſcias, & nequeas. Perbrevem igitur hanc Orationem, quam jam auribus percepiſti, benignus complectere, atque aliquo obtutu dignare: dein mihi, pedibus tuis humiliter advoluto, totique Collegio, quod Te, ut maximum ſui Decus, ut beneficum Principem, ut amantiſſimum Patrem intuetur, atque ut Te D. O. M. diu populo tuo incolumem ſervet, quotidie precatur, Apoſtolicam tuam Benedictionem impertire.

ORA-



ORATIO.



SATIS nequeo BEATISSIME PATER Joannis felicis recordationis vicesimi secundi Pontificis Maximi sapientiam, consiliumque laudare, qui ineffabile TRINITATIS Mysterium ab omni Ecclesia quotannis ritu solemni jusserit celebrari *(a)*, atque hodiernum diem potissimum delegerit, in quo Christi fideles singulari quadam ratione illud venerarentur. Æquum enim fuerat, cum in aliorum Mysteriorum honorem plurima per

(a) *Suarez lib. 2. de diebus Festis cap. 4. in fine.*

per annum festa essent instituta, etiam in SANCTISSIMÆ TRINITATIS laudem, quæ Christianæ Fidei caput est, & omnium Mysteriorum, & Catholicæ Religionis fundamentum, specialis aliqua celebritas haberetur. Æquum præterea fuerat, postquam Ecclesia hymnis, & canticis Christum in Cœlum ascendentem est prosecuta, postquam votis, precibusque SPIRITUM SANCTUM invocavit, ut mentes Fidelium visitaret, & superna gratia pectora, quæ creaverat, impleret, nunc toti TRINITATI præconia solemniter caneret, in qua & Filius, & Spiritus Sanctus cum Patre adoratur, & cujus manifestatione ita extollitur Ecclesiæ dignitas, ut liceat nobis præ veteris Testamenti sanctissimis viris; imo præ ipso credentium Patre Abraham in hoc gloriari.

Nec mirum alicui videatur me hoc ita fidenter, ac libere loqui. Scio equidem, ut cæteros omnes præteream, qui in veteri testamento sanctitate insignes floruerunt, tam spectatæ probatæque virtutis fuisse Abraham, ut merito Æternus Pater elegerit illum ex millibus, ut esset in gentem

ma-

magnam, ac robustissimam (*a*): & in ipso Benedicendæ essent omnes nationes terræ: merito voluerit Æternus Filius ex semine ipsius nasci: merito Spiritus Sanctus (*b*) Virum justum, & perfectum, & Patrem credentium in Scripturis prædicet. Scio penitissima etiam summi Regis Sacramenta, quæ aliis abscondebantur, ipsi fuisse revelata, ut neque eum TRINITATIS arcanum latuerit (*c*), & in convalle Mambre (*d*) tres viderit, & unum adoraverit; Nihilo tamen minus (perennes gratiæ immortali Deo habeantur) in hujus Mysterii manifestatione non est cum Ecclesia comparandus. Et si felix Abraham, quod TRINITATEM in typo viderit, ut ait Ambrosius (*e*) tres suscipiens, & unum adorans, multo nos feliciores sumus, qui hoc idem Mysterium, non per umbras, aut enigmata, sed pleno in Fidei lumine cernimus, & confitemur. Ille vidit tres Angelos (*f*); nos Deum ipsum pæne vidimus. Audivimus enim Patrem de Cœ-

(a) *Gen. c. 18. v. 18.* (b) *Gen. c. 15. v. 6. c. 17. v. 2., & alibi pluribus locis.* (c) *Gen. c. 18. v. 1., & infra.* (d) *S. Aug. contra Maxim. cap. 24.* (e) *Ita Ambros. lib. de Abraham c. 5., & lib. de Fide Resur.* (f) *Apud Joan. de la Haje ita Interp.*

Cœlo loquentem (*a*): Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui; ipſum audite. Vidimus Filium triginta trium annorum ſpatio converſatum in terris. Vidimus Spiritum Sanctum (*b*) nunc ſub Columbæ ſpecie ad fluenta Jordanis, nunc (*c*) in Cœnaculo in flamma ignis ſuper Apoſtolos deſcendiſſe. Novit ille, dum tres vidit, & unum adoravit, Deum Unum in eſſentia, Trinum in Perſonis; ſed quo nomine hæ Perſonæ appellarentur, quæ peculiari aliqua ratione ſingulis eſſent attributa, quæ æterna generatio, quæve proceſſio ignorabat. Nos illas Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum apellari oraculo ipſius Veritatis agnovimus cum ad Apoſtolos inquit: (*d*) Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Porro Omnipotentiã Patri, Sapientiam Filio, Spiritui Sancto amorem tribui plane intelligimus. Non ne denique Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum Sanctum a Pa.
tre,

(a) *S. Matt. cap.* 17. *v.* 5. (b) *S. Luc. cap.* 3., *c* 22. (c) *Actibus Ap. c.* 2. *v.* 3. (d) *S. Matt. c.* 28. *v.* 19.

tre, & Filio procedentem palam credimus, & profitemur? Quæ omnia profecto Abrahæ fuerunt abſcondita. Nobis tantummodo hos divitiarum ſuarum theſauros aperuit Deus; qui jam tot ſæculis ante oculos hominum latuerant; atque ut Eccleſia omnino præſtet Sinagogæ, ſi Abraham, poſtquam tres vidit, & unum adoravit (*a*) dignus factus eſt, qui Angelos Symbolum TRINITATIS hoſpitio reciperet, vere credentes, & fidem operibus comprobantes Templum ſunt Spiritus Sancti, imo Totius TRINITATIS, quæ in cordibus ipſorum inhabitat teſtante ipſo Deo: (*b*) veniemus, & manſionem apud eum faciemus; Et ſi tum Abrahæ tum cæteris antiquis Patribus ea, quæ finem habuerunt promittebantur, futuri ſcilicet in Iſaac Salvatoris adventus; nobis, quæ finem nunquam ſunt habitura immortalium bonorum, & gratiæ ſimul, & gloriæ facta eſt repromiſſio.

Gaudeamus itaque in hac tanta Eccleſiæ ſolemnitate gratias agentes Deo, qui nos in tenebris, & in umbra mortis ſedentes

(a) *Gen. cap. ut ſupra*. (b) *S. Joan. c. 14. v. 23.*

tes vocavit in admirabile lumen ſuum , & præ ipſo credentium Patre Abraham ita dilexit, ut nobis arcana ſua luculentius patefecerit, preccmurque Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ut venientes, & manſionem in cordibus noſtris facientes dignos tandem nos reddant , qui bonorum æternorum promiſſa conſequamur.

F I N I S.

